



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XXVIII. De Juramentis Generalia Principia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

serint, ut ejusmodi Apographis annectantur sigilla cujusdam antiquioris Regis aut Imperatoris &c. vel quod Notarii publici sibi sumpserint libertatem immiscendi falsa. Figmenta hæc censentur privatorum.

TITULUS XXVIII.  
DE JURE JURANDO GENERALIA PRINCIPIA.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 24. In Sext. Tit. II. in Clement. Tit. 9.*

§. 354.

*Juramentis*

JURIS JURANDI usus in Judiciis æque ac extra Judicia est frequentissimus: unde sparsim de eo in variis locis tractant Canonum & Legum Codices. Nos breviter, quæ magis necessaria videntur, duobus Titulis complectimur: hoc primo trademus generalia principia: sequenti titulo tractabimus de Juramentis variis in specie.

§. 355.

Bibliothecam Diplomaticam Scriptorum rei Diplomaticæ exhibet DANIEL EBERHARD. BARINGIUS in collectione variorum opusculorum, quæ inscribitur *Clavis Diplomatica.*

*De Jurejur. general. Princip. 433*

§. 355. Juramentum seu Jusjuran- *Defini-*  
dum est *Invocatio Divini Nominis in te- tio :*  
*stimonium.* Solet etiam dici *Sacramen-*  
tum, aut *Dejurium* a verbo *Dejero*, quod  
est, vehementer & valde juro 24. ).

§. 356. Juramentorum duæ sunt *Divisio :*  
species, una, quæ de causa non con-  
troversa ; altera quæ de causa con-  
troversa interponi solet. *De causa non*  
*controversa* adhibetur in negotio aliquo  
quod geritur, gestumve est, vel con-  
firmando, ut cum pactionibus de jure  
validis majus robur addit ; vel per-  
sonas fide *adstringendo*, ut fit in jura-  
mento subjectionis a subditis. *De*  
*Causa controversa* adhibetur Juramen-  
tum, aut solius religionis injicien-  
dæ causa, quale est juramentum ca-  
lumnia, testimonii, purgationis ; aut  
litis & controversiæ decidendæ gratia,  
quod fit vel ob solam litis decisio-  
nem, habetque tres species, Volun-  
tarium, Judiciale & Necessarium ; vel  
E e ob

---

24. ) Etymon harum vocum, uti & vocis  
Germanicæ *Eet* seu *Eid* videri potest  
apud GOROPIMUM BECANUM Lib. 4. Her-  
mathenæ.

*De Judiciis.*

ob delictum seu dolum alterius, & juramentum in litem dicitur. Dividi Juramentum solet in *Affertorium*, quo confirmatur dictum, & Deus invocatur in testem veritatis; & in *Promissorium*, quo confirmatur pactum, contractus, aut promissio de actione vel omissione ab ipso jurante ponenda. Si hoc adjiciatur minis, dicitur *Comminatorium*: si contineat imprecationem, dicitur *Imprecatorium* vel *Execratorium*, quamvis omnia Juramenta censentur continere aliquam Imprecationem: quando enim Deum Omniscentium & Iustissimum invocamus in testem, hoc ipso provocamus ejus indignationem & poenas, si dictum veritate non nitatur. Si Juramentum fiat interveniente actione reali, ut tactu Evangeliorum, Sceptri, Sanctæ Crucis, elevatione digitorum &c. vocatur *Corporale* aut *solemne*: si solis verbis & sine speciali imprecatione, vocatur *simplex*.

*Veneratio apud omnes Gentes:*

§. 357. Summa semper erat veneratio Juramenti apud omnes Gentes, quæ cœleste aliquod Numen agnoverant. Laudat PLATO 25. ) Rhadamanthum,

25. ) Lib. 12. de Legib.

thum, quod lites interposito Jurejurando citissime finierit. Numa Pompilius 26.) tanto religionis cultu omnium pectora imbuerat, ut fides ac Jusjurandum civitatem regerent: *nulum enim vinculum ad astringendam fidem Jurejurando Majores arctius esse voluerunt* 27.). Ubi impietas invaluit, & scelera agnitionem Numinis in animis hominum extinxerunt, vel saltem obscurarunt, multi etiam exuerunt Jurisjurandi religionem, *atque ideo intrepidum, quaecunque altaria tangunt* 28.): & confirmant dictum LYSANDRI 29.), pueros talis ludere, viros juramentis.

§. 358. Fuerunt olim 30.), & sunt hodie, nominatim Anabaptistæ, qui *Licentia* Juramenta illicita dicunt Christianis. *apud* Certum tamen est, ea, si debito modo *Christiano* fiant, non tantum esse licita, sed nos. etiam continere actum Religionis,

E e 2 dum

---

26.) Notante LIVIO Hist. Lib. 1.

27.) CICERO lib. 3. de offic.

28.) JUVENAL. Satyra 13.

29.) Apud PLUTARCHUM in vita Lysandri.

30.) Juxta C. 51. de Testib.

dum jurando infallibilem Dei Veracitatem & summam autoritatem profitemur 31. ). Unde per solum Deum verum jurare licet. Si quis juret per Cœlum, per Templum Dei, per Sancta Evangelia, per Deiparam, per Sanctos, per animam suam, censetur implicite invocare Deum in testem, quia in his creaturis speciali modo refulget Divinum Numen. Oppressa per Imperatores Romana Republica, jurabatur per Genium Cæsaris, cujus major quam Deorum erat veneratio 32. ). Hæc quidem jurandi formula rejicitur a Christianis, apud quos tamen retinebatur Juramentum *per salutem Principis* 33. ): sed CAROLUS M. prohibuit jurare per vitam Principis, vel Filiorum

---

31. ) Vid. SUAREZ de Relig. tom. 2. tract. 5. lib. 1. c. 4.

32. ) *Tutius eis est per Jovis Genium pejorare quam Regis.* MINUCIUS FELIX in Octavio.

33. ) L. 41. C. de Transact. Juramus, sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis. TERTULLIAN. tom. 1. Apologet. advers. Gent. C. 32. usurpatur hic modus jurandi in C. 9. l. 7.

*De Jurejur. general. Princip. 437*

rum ejus 34. ). Id merito improbat-  
tur, quod multi ex affectatione Ro-  
manæ Latinitatis, ignari quid loquan-  
tur, voce & calamo per falsos Roma-  
norum Deos jurare hodie non hor-  
reant, *Me hercle, Medius Fidius*, id est  
ita me Hercules, ita me Deus fidius,  
seu Jovis Filius, id est, Hercules amet:  
*Pol, Ædepol*, id est, per Pollucem,  
per Ædem Pollucis 35. ). His latinæ  
elegantiæ cultoribus inculcari potest  
monitum, quod JOSUE 36.) dedit I-  
sraelitis, *ne juretis in nomine Deorum ea-  
rum Gentium, quarum linguam æmu-  
lamini.*

§. 359. Juris Naturalis est Præcep. Tres Co-  
tum secundum Decalogi, *Non assumes mites,*  
*Nomen Domini Dei tui in vanum, Dixer-*

E e 3                      tis

---

34.) In Capitulari III. ann. 803. c. 22. &  
alibi,

35.) *Consuetudinis vitium est, Me Hercule  
dicere, Me Dius Fidius, accedente igno-  
rantia quorundam, qui ignorant, jusju-  
randum esse per Herculem. TERTULLIAN.  
de Idololatr. C. 20.*

36.) Cap. XXIII. 7. Quod in re gravis

tis & perspicuis verbis per separatam Legem hoc præcipere Deus voluit, quamvis ex generali præcepto colendi & honorandi Deum, necessario inferatur obligatio non profanandi Sanctissimum Dei Nomen. Nomen Dei autem est omne illud, quod Deo tribui solet, ut, quod sit Dominus, Omnipotens, Rex Regum, Fortis, & nominatim intuitu hujus secundi Præcepti, quod sit summe *Verax*. Hoc Præceptum ex conceptu vocum est Negativum, *Non assumes &c.* In hoc autem Negativo virtualiter continetur Affirmativum: *Assumes Nomen Domini Dei tui cum Reverentia & in Veritate.* Assumitur itaque Nomen Dei quandoque *licite*, quandoque *illicite*. Ut igitur Juramentum ad cultum veri Numinis rite fiat, tres debet habere comites, Veritatem, Judicium & Justitiam.

*Veritas* : S. 360. *Veritatis* causa prima est, sine qua Juramentum perjurium est, & maximum gravissimumque crimen, quan-

---

momenti possit recipi juramentum Gentilis per Deos falsos, colligitur ex C. 16. XXII. q. 1.



*De Jurejur. general. Princip. 439*

quando Deus in testem cujuscunque falsitatis inducitur, Istud locum habet non tantum in Assertorio, sed etiam in Promissorio Juramento, in quo autoritas Dei & animum promittentis presentem, & futuram executionem promissionis confirmare deberet. Plurimi putant, grave peccatum non esse, si promissum rei levis juramento confirmatum, executioni non detur. Nam Deus non censetur amplius obligare, quam ille, in cujus utilitatem juratum est; cum autem iste ad præstandam rem levem non videatur obligare graviter, etiam Deus non videtur graviter adstringere ad servandum juramentum, promissioni rei levis adjectum; sicut Deus ad id omnino non adstringit, si promissarius remittit omnino jus per promissionem acquisitum. Alii tenent, peccare eum graviter, qui non præstat, quod juramento promisit, etiamsi res levis sit: quia injuria Deo illata consistit in hoc, quod Deus invocatus fuerit in testem de re falsa, scilicet de executione, quamvis res levis promissa fuerit; sicuti graviter peccat, qui per Juramentum Assertorium Deum invocat

E e 4 in

in testem falsitatis, quamvis assertum sit de re levi. Aliter loquendum, si homo promissionem sibi factam omnino & totaliter remittit: ubi enim prorsus nulla datur obligatio exequendi, ibi etiam Deus non vult esse testis executionis. Ubi autem res levis promissa est, revera datur obligatio exequendi, sive gravis sive levis: quando igitur talis promissio juramento confirmata est, vult Deus esse testis executionis: si hæc omittatur ex culpa jurantis, Deus deberet esse testis falsitatis, quæ est gravis injuria summæ veracitatis. Et ideo si res levis per votum promittatur Deo, votumque hoc juramento insuper confirmetur: erit omissio præstationis peccatum leve intuitu voti; sed tamen peccatum grave intuitu juramenti.

*Judicium:*

§. 361. *Judicium* exigit, ne Juramentum temere, nimis frequenter & absque necessitate fiat. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa 37.* Ad reverentiam Juramento conciliandam inventæ sunt varix externæ ce-

re-

*De Jurejur. general. Princip. 441*

remonia & formulæ. Si plures Jura-  
mento se invicem obstringunt, facile  
permittitur, ut quilibet utatur for-  
mula apud se consueta, uti Judæus  
& Christianus 38. ). Inter has etiam  
multæ inveniuntur superstitiosæ, non  
tantum apud Gentes infideles, sed e-  
tiam apud Christianos 39. ). Joannes  
Rex Franciæ antiquasse scribitur con-  
suetudinem cujusdam loci, ubi Jura-

E e 5      men-

---

38.) Exemplum de Romanis & Carthagi-  
nensibus præbet POLYBIUS Histor. lib.  
3. his verbis: *primo foedere Carthaginen-  
ses quidem per Deos patrios jurarunt:  
Romani vero Jovem lapidem, ex veteri  
quodam ritu; deinde Martem & Gradi-  
vum Patrem. Mos autem jurandi Jovem  
lapidem est hic. Fecialis qui jurejurando  
foedus firmat, postquam fide publica jura-  
vit, lapidem in manus sumit, atque hæc  
dicit: si fidem servasso, tum me Dii ad-  
juvent: sin sciens fefellerero, tum ego, sal-  
vis ceteris omnibus in suis patriis, suis Le-  
gibus, suis Penatibus, Sacris, Sepulcris,  
solus exterminer, ut hic nunc lapis. & si-  
mul lapidem manu ejicit.*

39.) Tales recenset ANNÆUS ROBERTUS  
Rer. judic. lib. I. C. II. SETSER de Ju-  
ram. lib. I. c. 15. BARNABAS BRIS-  
SONIUS de solen. Pop. Rom. formul. lib.  
5. & 8.

mentum fieri solebat ab utraque partium sub certis formulis, ac in idiomate extraneis & insuetis, ac difficilimis observari: super quibus utraque vel altera partium si quoquomodo defecisset in idiomate, vel in forma, sive fragilitate linguæ jurantis sermo laberetur, sive manum solito plus elevaret, aut in palma pollicem firmiter non teneret, & alia plura frivola & inania, circa dictum juramentum tam verbo, quam facto non observaret, causam suam penitus perdebat 40.). Si cui deferatur Juramentum cum ejusmodi ceremoniis superfluis præstandum, vir honestus non tenetur illud præstare: multi enim existimabunt, talem eum esse, de cujus fide ac probitate suspicio tanta sit, ut solita jurisjurandi forma ad veritatem ab eo eliciendam non sufficiat. Satis erit, invocato Dei nomine, tactisque sacrosanctis Evangeliiis, aut erectis digitis, vel manu dextra pectori

---

40.) Ita refertur in Editione recenti Glossarii D. DU CANGE Verb. *Jurare*. Col. 883.

*De Jurejur. general. Princip. 443*

ri imposita jurasse; id solet ex antiquissimo ritu observari, ut jejuni jurent: unde solent juramenta exigi antemeridiano tempore 41. ). Pia alicubi est consuetudo, ut juramenta deponantur accensis duabus candelis, & proposita Christi Crucifixi imagine: ubi tamen hæc consuetudo non viget, non posset quis urgeri ad hunc ritum admittendum. Legimus 42. ), Arnoldum Episcopum Spirenses terribile, & horrendis verbis conceptum Juramentum exegisse a Ruperto Abbate Monasterii Limpurgensis Ord. S. Benedicti, pro eruenda veritate revelationis Divinæ, ex qua Rupertus insolitum abstinentiæ rigorem in Monasterium suum se introduxisse dicebat. Magna fiducia Rupertus id præstitit, prædixitque mortem Episcopo in pœnam intra illum annum, quæ etiam contigit.

---

41.) *Honestum etiam videtur, ut qui in sanctis audent jurare, hoc jejuni faciant cum omni honestate & timore Dei, & ut pueri ante annos quatuordecim non cogantur jurare. C. 16. XXII. q. 5.*

42.) *Apud TRITHEM, Chron. Hirsaug. ad Ann. 1124.*

git. Absque ejusmodi exquisitis formulis aut ceremoniis terrorem incutere potest invocatio Divini Numinis, cujus vindictæ & pœnis nos devovemus, si fallamus & Deum falsitatis testem invocemus. Unde Leges relicta sub conditione Jurisjurandi volunt accipi absque juramento, *cum faciles sint nonnulli ad jurandum contemptu Religionis, alii perquam timidi metu Divini Numinis usque ad superstitionem* 43.).

*Justitia.*

§. 362. Tertia Juramenti liciti comes est *Justitia*, ut non pro re turpi & iniqua, sed pro justo tantum juretur. Unde Juramentum vergens in dispendium æternæ salutis, nullo pacto servandum est: impia etenim est promissio, quæ scelere adimpletur: & æque criminosa est talis juramenti promissorii præstatio, ac ejus observatio. Res igitur, de qua jurandum est, non tantum honesta, sed gravis esse debet & seria, non levis, neque nullius omnino momenti: omnia autem juramenta, quæ bonis moribus sunt

*De Jurejur. general. Princip. 445*

sunt contraria, quæ in deteriorem exitum cadunt, quæ exemplo perniciofa sunt, quæ ad multorum cladem pertinent, omnino reprobata sunt 44.). Unde subditi Imperii, qui adhærent Pacis publicæ violatoribus, per Mandata Camerae avocantur, & cessare ab armis compelluntur, non obstante Juramento, quod Ducibus præstiterunt 45.). Advocatus, qui jurato promisit, se usque ad finem litis operam præstaturum, adesse tamen causæ illi non tenetur, postquam injustam eam esse deprehenderit. Testis, qui jurato promisit, se nolle testem agere, compelli a Judice debet ad veritatem testimonio suo detegendam 46.). Siquis jurat, se nolle pecuniam cuiquam mutuarè, vel nolle pro aliquo fidejuberè, nulla inde oritur obligatio ad servandum id, quod juramento promisit. In omni juramento intelligitur semper

---

44.) *Caus. XXII. q. 4. per tot.*

45.) *Const. de Pace publ. Augustæ ann. 1548. tit. 8. Ord. Cam. p. 2. tit. 10. & Conc. O. C. p. 2. tit. 11.*

46.) *C. 4. de Testib. cogend. C. 45. de Testib. & attest.*

per excepta autoritas Superioris: unde vanum est juramentum ea de re, quæ a Deo vel a Magistratu dependet. Si quis factum alienum jurejurando promittit, a perjurio liberatur, quando serio & omnibus viribus conatur efficere, ut id præstetur, quamvis obtinere non possit; tale enim juramentum habet vim clausulæ, se curaturum fieri. Universim materia juramenti promissorii debet esse licita, possibilis & bona.

*Regulariter omnes jurare possunt,*

§. 363. Jurare efficaciter vel cum obligatione possunt omnes, qui non specialiter prohibentur. Prohibentur autem jurare, qui rationis & judicii defectum habent, quales sunt furiosi & dementes, quibus æquiparatur in Jure Civili Prodigus, cui bonis interdictum est; saltem quando circa res suas contractum juramento confirmat (47.). Non admittuntur ad juramentum, qui non satis penetrare censentur gravitatem rei, & malitiam perjurii, ut impuberes, convicti de perjurio, luridæ vitæ homines (48.). Ju-  
ra-

47.) *Furiosi vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est. L. 40. ff. de R. J.*  
48.) *Ille qui hominem provocat ad juratio-*



*De Jurejur. general. Princip. 447*

ramentum hominis vehementer irati obligatorium non est, nisi ex perseverantia appareat, judicium animi non plane defuisse 49. ). David, qui ex motu iracundiæ perniciem Nabal & universæ domus ejus juramento confirmaverat, prudenti sermone Abigailis placatus, iram & arma posuit 50. ). Nonnulli æque infirma esse juramenta amantium credunt, cum amor immoderatus species quædam sit furoris: & ex hoc capite ab obligatione absolvunt juvenes amasiis suis jurata promissa dantes. Nimis benigna hæc est interpretatio: revera enim juramentum tale omnino servandum est, cum æstus amoris caliginem quidem menti offundat, non tamen omnem consensum liberum excludat: unde salva religione violari juramentum

---

*nem, & scit, eum falsum esse juraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit, & suam C. 5. XXII. q. 5.*

*49. ) Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse. L. 48. ff. de R. J.*

*50. ) I. Reg. XXV.*

tum non potest, nisi aliud prohibeat: nam si aliquid illicitum contineat, aut grave præjudicium invitis parentibus inferat, absque conscientiæ remorsu violari potest, quod absque tali remorsu præstari non poterat. Surdi & muti, qui negotii sufficientem cognitionem habent, juramentum recte præstare possunt, cum nutus vel scriptura absque verbis ad obligationem aliquam sufficiat, ut tangendo Sceptrum, dum Notarius prælegit Juramentum. In illis vero, qui surdi & muti a nativitate fuerunt, vix supponi potest sufficiens gravissimi negotii cognitio. Pupilli & impuberes, saltem si pubertati proximi non sint, non censentur habere discretionem judicii ad juramentum requisitam: Minores autem ex jurejurando obligantur, sicuti etiam obligantur, quando contrahunt sine Curatoris autoritate: nihilominus restitui possunt in integrum ob enormem læsionem, quæ censetur continere dolum. Feminas jurando obligari, dubitari non potest, nisi quatenus potestati patris aut mariti sunt subditæ §1.). Unde quæ per juramentum inter-

*De Jurejur. general. Princip. 449*

tercefferunt, non utuntur Senatus-Consulti Vellejani beneficio. Filiusfamilias obligatur ex juramento, quod nihil vel de bonis patris, vel de auctoritate atque potestate patribus in filios tributa detrahat: ex mutuo tamen contra ipsum non agitur ob Scutum Macedonianum: neque etiam ex voti sponfione 52.), quia nihil proprium habet; ad quantitatem autem peculii castrensis, vel quasi, tenebitur; in hoc enim vice patrisfamilias fungitur. Judæorum & Turcarum juramenta admittenda esse passim traditur & in praxi observatur, cum jurare soleant per verum Deum. Apud Judæos tamen variæ cautelæ sunt adhibendæ, cum ex quolibet minimo defectu se non obligari putent 53.). Socinianos ad juramentum non admittendos esse, censet GERHARDUS FELTMANNUS 54.), qui tamen 55.) hoc dictum suum mitigat, &

F f                      magis

52.) L. 2. §. 1. ff. de Pollicitat.

53.) Conc. Ord. Cam. p. 2. tit. 98. Jodocus BECK de Jurib. Judæor. c. 16. §. 19. seqq.

54.) De Jurament. Perhorres. lib. 1. c. 2. §. 11.

55.) Ibid. Lib. 2. c. 1.

*De Judiciis.*

magis explicat formam jurandi Menonistarum, sub quo nomine latitant Sociniani, quibus quoad juramenta æquiparat fanaticos, quos in Anglia vocant *Quacker*, sive tremulos.

*Etiā per  
Procuratorem.*

§. 364. Ut ab ipsa persona, in cuius animam juratur, præstetur iuramentum, naturæ hujus negotii est longe conformius: nihilominus praxis passim admittit, ut ex mandato speciali præstetur per alium, qui solet quidem communiter nominari Procurator, proprie tamen Procuratoris munus non obit, cum solum præstet ministerium, ita ut formula: *Ego juro in animam Principalis mei*, sensum habeat, vel potius pronuntietur his verbis: *Principalis meus per me in animam suam jurat . . . sic ipsum DEUS adjuvet &c. §6. ).* Tali ratione cum communi praxi conciliatur illorum sententia, qui omnino nolunt admittere

---

56.) Gloss. in C. tibi domino. dist. 63. SERAPH. DE SERAPHINIS de Privileg. jurament. privil. III. n. 8. In Jure Bavarico Cod. Judic. C. 13. §. 1. jubetur simul jurare Procurator in animam suam iuramento credulitatis, quod credat Principalem suum optima conscientia posse jurare in animam suam.

*De Jurejur. general. Princip. 451*

mittere juramentum a Procuratore præstandum. Juramentum calumniæ, etiam invito Adversario, per Procuratorem habentem speciale mandatum, præstari posse, constituit Jus Canonicum 57.) : Alia juramenta Procuratorum vix admittere tenebitur pars altera, nisi expressum Mandatum exhibeatur principalis. Unde difficultas non nunquam est in Juramento nomine Universitatis præstando : recusari ab altera parte potest Syndicus, aliive ab Universitate eligendi; sed potius pars adversa eligere posset membra quædam Universitatis, quæ jurare deberent nomine ejusdem Universitatis 58.) . In quibusdam causis Leges requirunt juramentum in propria persona præstandum 59.) .

Ff 2

§.365.

57.) C. ult. de Juram. calum. in 6.

58.) Vid. LEYSER specim. 143. med. 3. seqq.

59.) Sic in casu C. 4. de Sent. Excom. PROPRIA manu præstiterit juramentum. item C. 47. de Testib. testes PROPRIO juramento firmantes. item C. 4. de Elect. in 6. fidem per PROPRIUM præstandum corporaliter faciunt juramentum. item L. 27. in fin. C. de Episc. audient. & L. 27. in fin. C. de Curat. fur. Ipo curato.

*Jura-  
menti  
Promis-  
sorii ef-  
fectus.*

§. 365. Effectus Juramenti rite præstiti, quo promissum de relicta confirmatur, est, ut ex virtute Religionis jurantem DEO obliget ad præstandum id, quod promisit, quantum illæsa conscientia præstare potest. Homo autem cui juratum, non acquirit jus contra jurantem directe ex Juramento, sed indirecte tantum, quia necesse est, ut DEO debitus cultus tribuatur. Ideo ex Juramento extrajudiciali non oritur actio jure civili, nisi in casu speciali, quo libertus juravit se operas, donum, munus præstaturum 60. ). De Jure Canonico multi dubitant: textus tamen non profertur; ex quo actionem dari probetur;

---

*re, cujuscunque vel substantiæ vel dignitatis est, præfatum Sacramentum præstante.*  
**PIUS II.** Pontifex Dietherum Archiepiscopum Moguntinum confirmavit quidem absentem, ea tamen adjecta lege, ut intra annum Sedem Apostolicam accedere teneretur, idque jurejurando confirmaret, quod per Legatos promissum & juratum est. Cum autem Dietherus se præsentem non sisteret, quantæ turbæ inde sint ortæ, fuse refert **JOAN. GOBELLINUS** in Commentariis Pii II. lib. 3. & seqq. passim.

60.) L. 7. ff. de operis libertor.

*De Jurejur. general. Princip. 453*

betur: ex officio autem Judicis jurans  
cogi potest, ut juramento satisfaciat;  
& hinc si contractus juramento fue-  
rit confirmatus, potest is, qui con-  
tra juramentum a se præstitum temere  
venit, de jure conveniri *coram Eccle-  
siastico Judice, ad cujus forum ratione  
juramenti causæ hujusmodi cognitio noscitur  
pertinere 61. ).* Et istud intelligitur  
ea phrasi, quod Juramentum adjiciat  
forum foro. Ideo in Lege Regia Lu-  
sitaniæ prohibitum est, ne juramen-  
tum contractibus interponatur, pu-  
nianturque tabelliones tale juramen-  
tum suscipientes. Ratio hujus legis  
est, ne ex juramento contractibus ad-  
hibito, causa, quæ ad Regium Tri-  
bunal pertinet, ad Ecclesiasticos de-  
volveretur 62. ). Obligatio autem  
juramenti tanta est, ut inducat præ-  
cisam necessitatem: quamvis igitur  
teneatur illorum opinio, qui putant,  
in stipulatione faciendi obligatum,  
non præcise obligari ad factum, sed  
sufficere, si præstetur id, quod inter-  
est: nihilominus si juramentum in-

F f 3                      ter-

61.) C. fin. de for. comp. in 6.

62.) Vid. ANT. DE GAMA Decis. 247.

n. 2.

tervenerit, ob juramenti religionem cogitur omnino promissor præcise ad factum; cum alioquin tale juramentum non haberet ullum effectum, nec adderet actui majus robur. Ex hoc volunt aliqui inferre, quod debitor, qui juravit se soluturum, objicere compensationem non possit: & id quidem Romanæ Curix usu receptum esse testatur ANT. MASSA GALESIIUS 63.), qui tamen advertit, aliqua æquitatis ratione concurrente, posse admitti compensationem debiti liquidi; non enim videtur honeste agere creditor, volens exigere sibi debitum, nec solvere quod debet. Hinc dictus GALESIIUS fatetur, se id nunquam permissurum, si esset Judex, cum haberet pro se Bartolum æquitatis fontem, & alios egregios Doctores, qui eum sunt imitati 64.). De variis Juramenti

63.) Ad form. Camer. oblig. p. 2. ad 4tam. oblig. partic. q. 2. n. 6. seqq. m. fol. 165. seq.

64.) Vid. AFFLICT. Decif. 381. CAPRECIUS Decif. 167. Accedunt Leges: si constat pecuniam invicem deberi, ipso jure pro soluto compensationem haberi oportet. L. 4. C. de Compens. Nec enim interesse, solverit, an pensaverit. L. 4. ff. qui potior. in pignore.



De Jurejur. general. Princip. 455

menti effectibus redibit sermo in Titulo sequenti 65.)

§. 366. Usitatum est, ut assertiones & promissiones sola fidei interpositione confirmentur, vel ob dignitatem personæ, in qua bona fides exuberare præsumitur 66. ), vel ob levitatem negotii, cum non deceat DEum in testem vocare cujuslibet rei modici momenti. Afferitur itaque aliquid *fide Principis, fide Nobili, fide Sacerdotali, per salutem meam &c.* His formulis tribuunt aliqui omnes effectus juramenti 67. ) : facile his assentior,

An Juramento  
equivaleat fidei  
interpositio?

F f 4                      quan-

65.) De Juramenti effectibus agunt NICOLAUS EVERARDUS in locis argum. legal. loc. 130. a vi, energia seu efficacia Juramenti. ANTONIUS DE PETRUCCIA tr. de Viribus Juramenti. JEREMIAS SETSER tr. de Jurament. lib. 1. c. 25.

66.) VALERIUS MAXIMUS lib. 2. c. 10. narrat de Xenocrate, qui cum testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more civitatis juraret, omnia se vere retulisse; universi Judices consurrexerunt, proclamatumque ne jusjurandum diceret: quodque sibi et ipsis postmodum dicendæ sententiæ loco remissuri non erant, sinceritati ejus concedendum existimarunt.

67.) GAIL lib. 2. observ. 59. MYSING. cent, 1. obs. 17. testantur de praxi Ca-

quantum pertinet ad obligationem & firmitatem actus, cum fidei obligatio naturalis sit, nihilque rationi adeo congruum, quam id quod inter contrahentes actum est, servari. Nihilominus interpositio fidei humanæ non parit virtutem Religionis, nec per eam DEO fit promissio, consequenter non æquivalet juramento, & qui violat datam fidem, non subjacet pœnis perjurii.

*Vel Relatio ad aliud prius juramentum?* §. 367. Ex hoc principio fluit decisio GREGORII IX. Pontificis 68.), quod sola relatio ad aliud juramentum non sufficiat ad hoc, ut quis perjurii arguatur. Textus est valde notabilis & consideratione dignus: *Clericus qui juravit se statuta in Ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum, statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter observare: licet transgredi non debuerat, quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti*

meræ Imperialis. RUTGERUS RULANT de Commiss. Camer. p. 2. lib. 2. c. II. n. 30. narrat, Nobilem quemdam Virum petiisse & impetrasse a Camera Imperiali relaxationem promissi sub fide sua, & an Eid - Statt facti.  
68.) In Cap. penult. de Jurejur.

menti 69.) . Nam per talem relationem non fit invocatio Divini Nominis , nisi adsit animus novus jurandi : hic non præsumitur intercedere , cum juramenti præstatio sit res per se onerosa . Si autem talis animus vere adesset , haud dubie per talem relationem renovaretur juramentum olim præstitum . Hinc etiam si semel juramentum præstiterim de solvendis centum aureis Titio : ac demum dixerim postea , me promittere equum dare Sempronio sub eodem juramento jam præstito , tenebor omnino ex vi promissionis equum dare Sempronio , non tamen ex vi juramenti . Infertur etiam , quod promissio vel renuntiatio *an Eidesstatt* , non sit omnino iurando adæquanda : nec enim est idem , quod ponitur pro eodem : & quod non est juramentum ex Lege Divina & humana , scilicet ubi non juratur per DEum , id privati facere juramentum privata pactione non possunt . Eodem modo si Magistratus injungit aliquid subditis , qui juramento

F f 5                      mento

---

69.) Vid. EMAN. GONZALEZ ad hoc Capitulum. COVARRUVIAS ad Cap. quamvis pactum. p. I. n. 8. seq.

mento obedientiam promifere, his verbis *sub obligatione præstiti juramenti*, bey Eides-Pflicht, non cenfetur effe juramentum; præfumatür enim, quod Magiftratus tantum velit juramentum in memoriam revocare, ne per contemptum omittant fubditi obedire præceptis, non tamen ut perjurium ab his committatur.

*Status* §. 368. Gravis eft quæftio, an Ju-  
*quæftio-*ramenta metu gravi extorta, eos-  
*nis de*dem, quos recensuimus, & recense-  
*Jura-*bimus, effectus pariant. Accurate  
*mento*figendus eft ftatus quæftionis. Sermo  
*metu ex-*eft de Juramento promifforio, & in  
*torto :*iis quidem circumftantiis, in quibus  
 non tantum ad aliquid promittendum,  
 fed etiam ad juratam promiffi confir-  
 mationem metus gravis eft incuffus.  
 Contractum ex metu gravi initum  
 non parere obligationem Juftitiæ er-  
 ga eum, qui contractum extorfit, ali-  
 bi docuimus 70. ): hoc loco quæftio  
 movetur, an ex Juramento, quod  
 compellente gravi metu adjecimus  
 contractui, obligemur DEO ad præ-  
 ftandum id, quod nos homini præfti-  
 turos

---

70.) De Jure rer, Eccl. fecl. 4. §. 239.  
 feq.

turos juravimus 71.) , modo res promissa non sit per se mala , vergens in interitum salutis æternæ. Ubi rursus advertitur , posse nos ad aliquem contractum , vel juratam ejus confirmationem moveri ex metu tantum indirecte , dum occasione mali imminentis quærimus aliquid nobis nulla ratione debitum : ut , si quis in periculoso itinere ad evitandos latronum insultus sibi prospiciat de armato comitatu sub conditionibus juramento firmatis. Nam latrones dant quidem occasionem quærendi hanc securitatem , non tamen moraliter in talem contractum influunt , sed optant potius , ut absque comitatu inermis iter faciam : milites autem , qui me comitantur , aliunde non tenentur ad securitatem mihi præstandam. Igitur his meis custodibus obligor ex contractu , & simul obligor Deo , si huic contractui juramentum adhibui. Dubium remanet de juramento , quod directe & immediate fit ad obtinendam

---

71.) Sic optime inter obligationem erga proximum , & obligationem erga Deum distinguit S. THOMAS 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.

dam immunitatem a gravi malo mihi aliunde debitam, scilicet si latro minetur mortem, nisi jurato promittam pecunias, certo tempore ad certum locum deferendas. Notandum insuper, nonnunquam adjici Juramentum ipsi promissioni; nonnunquam autem juramentum interponi, quod quis nolit contra contractum petere remedium, quod leges suppeditant, forte Restitutionem in integrum, rescissionem judicalem, actionem vel exceptionem quod metus causa, dispensationem &c.

*Sensus Pontificum de tali Juramento.*

§. 369. Cum Resolutio hujus questionis pertineat ad virtutem Religionis, & cultum Divini Nominis, respiciendum est potissimum ad mentem Sacrorum Canonum, qui nostram erga DEum obligationem interpretantur. ALEXANDER III. & CÆLESTINUS III. Romani Pontifices 72.) de hac re consulti, respondent, non esse tutum, quemlibet contra Juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in dispendium salutis æternæ: nec se alicui dare materiam velle veniendi contra Juramentum.

72.) In C. 8. & 15. de Jurejur.

*De Jurejur. general. Princip. 461*

mentum proprium, ne Autores perjurii viderentur: recolere se tamen, quod coacti ad juramentum meruerint absolutionis beneficium a Prædecessoribus suis, ad coercendam iniquitatem eorum, qui alios ad jurandum compulerunt: ceterum ejusmodi hominibus ad jurandum adactis, non esse expresse dicendum, ut juramenta non servent, sed si ea non attenderint, non ob hoc esse tanquam pro mortali crimine puniendos. Ex quibus colligitur, Pontifices prudentissime velle, ut ab ejusmodi Juramenti pro cautela petatur absolutio, hoc est, ne quilibet, qui juravit, mox propria autoritate se immunem credat a servando juramento: cum ex tali arbitrario judicio facile sequerentur innumeri abusus, & veneratio Divini Nominis sæpissime concideret. Absolutio autem, quam Pontifices dant, non tam est absolutio, quam declaratio, quod juramentum non obliget, juxta illud 73.), *quod non tam erat absolutio necessaria, quam interpretatio requirenda: quo sensu 74.) absolutio*

---

73.) C. 18. de Jurejur.

74.) In c. 2. ibid.

solvitur Episcopus ab obligatione Juramenti, quia nefandissima coactione juravit. Quod autem Judicium de metu vel dolo non debeat, nec tuto possit relinquere arbitrio illius, qui metum passus est, ostenditur ex eo casu 75.) ubi Canonici a voto & juramento se liberos credidissent, nisi Pontifex declarasset, metum non fuisse gravem, & dolum non aptum ad circumveniendos viros prudentes. Cum igitur plurimi nimis faciles essent ad se immunes ab obligatione credendos, merito requiritur autoritas Ecclesiastica, sicut contractus ex metu graviter iniustus, rescindi, vel potius nullus declarari debet a Prætoribus, quamvis eundem ipso jure invalidum existimemus. Unde etiam Leges Civiles ex iisdem principiis agnoscunt, ejusmodi juramenta coacta non habere valorem 76.). Quando autem CLEMENS III. 77.) rescribit, renuntiationem ad terrorem

75.) C. cum dilectus. 6. de his quæ vi, metusve causa &c.

76.) Auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vend. ibi: *per vim vel per justum metum extorta etiam a Majoribus, nullius esse momenti jubemus.*

77.) In C. 3. de his quæ vi &c.



*De Jurejur. general. Princip. 463*

torum Laicorum factam non impedire effectum electionis, nisi forte juramento vel fide interposita sit confirmata: Item quando INNOCENTIUS III. 78.) Ecclesiam restitui jubet illi, qui gravissimo metu ad Ecclesiam interposito juramento resignandam fuerat coactus, cum non jurasset, se non repetiturum: colligunt aliqui, restitutionem in hoc secundo casu non habituram locum, si Episcopus jurasset, se non repetiturum resignatam Ecclesiam; in primo autem casu metum gravem non obstare renuntiationi, si hæc juramento sit confirmata. Verum ejusmodi textus intelligi possunt de juramento absque metu & sponte interposito, de non contraveniendo renuntiationi, postquam hæc ex metu facta fuerat: proin in his casibus fuisset metus purgatus per spontaneum juramentum.

§. 370. Si Rationem consulamus, Ratio licitum quidem est & minime turpe, naturali latroni præstare promissas pecunias, de Jura- quando promissio & præstatio sim- mento la- plex spectatur, remotis aliis circum- tronibus, stantiis turpitudinis; sed dare latroni  
tan-

---

78.) C. 4. ibid.

tanquam latroni, & dare propter vim & metum illatum, hoc factu turpe & contra bonos mores est, ut proinde nec jusjurandum obliget. Qui enim servat tale juramentum, videtur facto suo vim & metum illatum comprobare: occasionem dat turbandi publicam quietem, dum perditos homines, qui pœnam potius, quam maleficii præmium merentur, audaciores reddit, ad violentas rapinas, & extorquendos quoscunque contractus, contra quos nullum superesset remedium, si etiam repetitioni aut aliis Legum remediis jurato fuisset renuntiatum. Sicut igitur juramentum cedens in odium Ordinis Ecclesiastici 79.), aut in præjudicium Regni 80.), nulla ratione obligat: ita pariter violenta Juramenta, per quæ turbatur quies Reipublicæ, Deo non cedunt honori; consequenter virtutem Religionis non continent; nec obligationem, quæ ex sola virtute Religionis provenire deberet, producant. *Non est obligatorium contra bonos mores*

---

79.) C. 12. de for. comp.

80.) C. 23. de Jurejur.

*De Jurejur. general. Princip. 465*

mores præstitum juramentum 81. ): cum  
Juramentum, non ut esset iniquitatis vin-  
culum, fuerit institutum 82. ). Dein qui  
tale Juramentum metu extortum vel-  
let servare, cooperaretur alterius pec-  
cato: alter enim nullum acquisivit jus  
ad rem promissam, & peccaret illam  
acceptando, vel non restituendo: mi-  
rabilis autem videtur esse obligatio,  
qua teneor una manu dare, & possum  
altera rursus exigere. Credi igitur non  
potest, Deum velle honorari per ob-  
servantiam iniquissimæ conventionis  
turpia enim pacta sunt, non tantum  
quæ de re illicita, sed etiam quæ de  
modo illicito, scilicet metu vel dolo  
ineuntur. Propterea quando 83. ) ser-  
mo est de muliere consensum suum  
super rebus dotalibus alienandis, aut  
de filia renuntiationem hæreditatis  
paternæ juramento firmante, dicitur  
servari debere *hujusmodi juramenta, sine*  
*vi & dolo SPONTE præstita.* Unde a sen-  
su contrario potest inferri, juramen-  
ta vi vel dolo extorta servari non de-  
bere,

G g

bere,

81.) C. 58. de R. I. in 6.

82.) C. 18. de Jurejur.

83.) In C. 28. ibid. & in C. 2. de Pact.  
in 6.

*De Judiciis.*

bere, etiamsi in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ. Ex his rationibus etiam non valet Juramentum, quo quis latronibus promittit silentium, quod nemini sit eos proditurus. Nam per tale silentium, aliorum vita & salus in discrimen adducitur, quod evitassent, si de infidiis fuissent admoniti; tenemur autem proximum admonere de periculo imminente, quod prohibere possumus. Imo ad præcavenda multorum damna, tenebitur talis non obstante Juramento, rem indicare Magistratui, ut securitatem viarum tueatur.

*Aut ho-  
sibus  
prestato.*

§. 371. Hæc de latrone: alia ratio hostis est; nam Juramentum hosti datum, observandum est, quod sine peccato servari potest, ut, si quis hosti promisit lytrum, aut reditum ad captivitatem. Unde CICERO 84.) commendans usum juramenti, factum Reguli 85.) nunc quidem esse mirabile dicit, sed eo tempore, quo factum est, non fuisse mirabile, cum potius debeat adscribi probitati morum eorum.

84.) Lib. III. Officior.

85.) de quo Supplem. LVII lib. 18.

*De Jurejur. general. Princip. 467*

tempore. Huc pertinet elegans dictum PLUTARCHI 86.) , *Jurejurando qui circumvenit , hostem se timere , Deum vero fatetur contemnere. Siquis autem injusto carcere aliquem detinet ad promissionem vel juramentum extorquendum , quidquid ob hanc causam factum est , nullius momenti est 87. ).* Juratoria cautio de non vindicando, vulgo *Urphed* , omnino obligat , si relaxata incarceratione exigitur 88. ). Quæ de metu dicta sunt , fere etiam intelligi possunt de Juramento , ad quod quis *dolo* alterius , vel proprio suo errore inductus fuit.

§. 372. Licet gravissima sit Jura-<sup>Quis pos-</sup>menti obligatio , ut servetur , si modo <sup>sit rela-</sup>possit servari sine detrimento salutis <sup>ære ja-</sup>æternæ ; nihilominus ex dictis , & aliis <sup>ramen-</sup>Juris principiis facile infertur , subes-<sup>tum ?</sup>se nonnunquam æquitatis rationem , per quam absolutio , gratia , dispensatio , declaratio , commutatio , aut totalis

G g 2

86.) In vita Lysandri.

87.) L. 22. ff. quod met. caus.

88.) An & qua ratione relaxatio hujus juratæ urphedæ in ordine ad agendum concedi a Camera Imperiali possit , declaratur in Ord. Cam. p. 2. tit. 24. & in Cons. Ord. Cam. p. 2. tit. 26.

talis relaxatio fiat, ne quis efficiatur perjurus, non observando juramentum. Omne Juramentum fieri Deo, constat: unde homo illud relaxare non potest, nisi ex Dei permisso & patefacta in Scripturis voluntate. Hanc censetur habere legitimus Magistratus, prævia causæ cognitione. De Magistratu Ecclesiastico omnes consentiunt, cum Juramentum inter res spirituales sit, & ideo ad forum Ecclesiasticum pertineat. Verum etiam Magistratum politicum in certis materiis eam potestatem sibi sumere, praxis docet. Nam in omni Juramento *debet intelligi jus superioris exceptum* 89.). Unde testis, qui juravit, se nolle testimonium perhibere, per Judicem tamen Ordinarium ad perhibendum testimonium Mandatis pœnalibus cogi potest. Exempla plura occurrunt in Legibus 90.), ubi Glossa advertit, quod Lex obtineat vim Apostoli-

---

89.) C. 19. de Jurejur.

90.) L. fin. ff. qui cogantur &c.  
L. fin. ff. ad Municipalem. L. adigere  
6. §. fin. ff. de Jure Patron.

*De Jurejur. general. Princip. 469*

stolicam, ut remittat juramentum 91.). Eandem potestatem exerceri in Camera imperiali, constat ab experientia 92.). Præcipue id jure fieri credunt, quando in foro contentioso excipitur de ipso Juramento, non disputando de illius vinculo, an licitum sit, vel non, sed de ejus observatione: circa hanc putant posse Judicem secularem & Ecclesiasticum, quemque in suo foro cognoscere & judicare; ad utrumque enim Judicem pertinere executionem Juramenti 93.). Insuper is etiam, in cujus favorem principaliter juramentum est præstitum, habet vim & potestatem Juramentum remittendi, non solum expresse, sed etiam tacite, ut: si filia juramento interposito renuntiet hæreditati, & postea a patre hæres instituatur: tunc enim non obstante jurisjurandi religione hæreditatem ex testamento ca-

G g 3                      pere

91.) Hoc jure etiam usum esse Tiberium Cæsarem, refert SÆTONIUS in ejus vita cap. 35.

92.) Ord. Cam. cit. tit. 24. MYNSINGER Cent. 3. observ. 99. GAIL lib. I. obs. 25.

93.) Vid. FELINUS in C. præterea n. 28. seqq. de sponsalib. & in C. cum sit. 8. n. 7. seqq. de for. compet.

pere poterit, quia tacite videtur a patre illi jusjurandum remissum. Ex hoc ipso capite Magistratui seculari potestatem relaxandi juramentum tribuunt, quod illud remittat loco sui subditi, cui juratum est, in iis circumstantiis, in quibus ipse subditus deberet remittere propter bonum publicum, aut aliam justam causam.

*De Interpretatione Juramenti*

§. 373. Ut evitetur perjurii nota, plerumque recurritur ad interpretationem Juramenti. Regulariter sensus ejus desumitur ex intentione jurantis, quæ verbis conformis esse præsumitur. Si in verbis occurrat ambiguitas, recurrendum est ad jus commune, & communem hominum intelligentiam, cui jurantes in re dubia se conformare intelliguntur. Sic qui jurato promisit solvere centum sibi mutuo numerata, potest intra biennium opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, quia jurata hæc promissio censetur facta ex spe futuræ numerationis, sicuti promissio simplex. Si tamen jurasset, se recepisse pecuniam mutuoam, exceptionem illam amitteret, ne videatur allegare,

se



*De Jurejur. general. Princip. 471*

se esse perjurum 94. ). Si juramenti obligationem aliter intelligat is, qui jurat; & aliter is, cui fit juramentum, pro hoc casu in foro externo dicta regula locum habet: pro foro autem interno decisionem præbet ISIDORUS 95. ): *Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit, præcipue si habeat jus exigendi juramentum.* Nam si quis proferens verba juramenti, non haberet animum jurandi, impie illuderet Divino Nomini, & pernicioso uteretur mendacio in grave dispendium humani commercii, ad cujus confirmationem & tutiorem vim solent juramenta exigi. Hinc quamvis talis non teneretur vi juramenti, obligaretur tamen ad evitandum gravissimum scandalum. Si autem habet animum jurandi, absque animo se obligandi, & promissum servandi, aperte committeret perjurium, quia juramentum ex natura sua in-

G g 4                      vol-

---

94.) Exemplum interpretationis juramenti occurrit in C. 21. de Jurejur.

95.) In C. 9. XXII. q. 5.

volvit intentionem se obligandi, & promissum præstandi 96.). Unde ad praxin non videtur esse eorum monitum, qui in juramentis ex metu præstitis ante omnia considerandum censent, an jurans habuerit intentionem solummodo se liberandi a gravi malo imminente; an vero habuerit animum se vere obligandi. Ex hac enim consideratione, si gravis metus tantam deliberationem permetteret, facile sumitur occasio eludendi obligationem Juramenti, id est, mendacibus verbis illudendi DEO. Ad similia perjuria evitanda summopere cavendum est Magistratui, ne juramentum exigat circa ea negotia, ad quæ se obligari non posse persuasus est subditus; aut ubi apparet periculum perjurii. Sic ALEXANDER III. 97.) non vult, ut Clerici Concubinarij compellantur ad abjurandas concubinas; & CAROLUS M.

non

---

96.) COVARRUV. in C. quamvis. de pactis. in 6.

97.) C. 3. de Cohabit. Cler. & mulier. sic etiam JUSTINIANUS abrogat Juramentum de viduitate servanda, scilicet circa legata viro aut mulieri sub conditione viduitatis sub juramento relicta. L. 2. C. De indicta Viduit. &c.

*De Jurejur. general. Princip. 473*

non vult, ut ii, qui Decimas dare neglexerint, juramento constringantur, propter periculum perjurii 98.) Similiter Concilium Epaonense 99.) petit quidem, ut servi ad Ecclesiam confugientes a corporalibus suppliciis sint immunes: non tamen vult, ut Ecclesia pro aliis pœnis remittendis juramentum ab eorum dominis exigat.

§. 374. Altera regula, quæ ad interpretationem Juramentorum pertinet, est, quod Juramentum præstitum super aliquo contractu, vel dispositione prævia, interpretationem accipiat, extendatur, & limitetur secundum naturam illius contractus vel dispositionis, super quo vel quæ interponitur. Intelligendum hoc est de iis, quæ non tantum per accidens, sed ex propria natura primo contractibus insunt. Sic si quis rem interposito juramento venditam, & nondum traditam, alteri vendat & tradat simul, dominium rei transferret in hunc secundum non obstante

*Varia*

G g 5

Ju-

98.) Capitul. lib. II. c. 39. Idem dicitur in Concilio Cabilonensi II. can. 18. ann. 813.

99.) celebratum anno 517. can. 39.

Juramento, quod sequitur naturam prioris venditionis, quæ non annullat translationem dominii in alterum emptorem. Item donatio Juramento confirmata, revocatur, si donator postea liberos susceperit, cum hæc sit natura donationis juxta Leges. Econtra si concedatur sufficere, ut promittens aliquid facere, liberetur solvendo interesse, id tamen dici non poterit de promissione facti jurata, quia præstatio ejus quod interest, non fluit ex natura contractus, quæ potius exigit præcisam solutionem ejus, quod debetur; sed ex accidenti, nempe ex mora debitoris, quia promittens facere, id præstare tergiversatur, & ideo saltem tenetur præstare interesse.

*Regula.*

§. 375. Aliæ regulæ, quæ serviunt ad interpretationem juramenti, communes sunt aliis contractibus & actibus, uti quod verba soleant intelligi juxta communem sensum; quod juramentum generalibus verbis conceptum, ad actus tantum licitos restringendum sit; quod non extendatur ad ignorata, vel incogitata, ad nimis difficilia vel moraliter aut physice impossibilia.

possibilia; quod, licet generale sit, tamen ea, quæ specialem mentionem requirunt, non comprehendat; quod subintelligatur conditio, *rebus sic stantibus*; quod conditionale non obliget, si altera pars conditionem juramenti non servat 100.). De Crimine & Pœna perjurii dicitur infra Sect. II.

## TITULUS XXIX. DE JURAMENTIS VARIIS IN SPECIE.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 7. In Sext.  
Tit. 4. item Lib. V. Decretal.  
Tit. 34.*

§. 376.

DE Divisione Juramenti in varias *Jura-*  
species, ejusque obligatione di- *mentum*  
ctum est Titulo superiori; nunc bre- *Extraju-*  
viter agendum de quibusdam usu fre- *diciale*  
quentioribus Juramentis; primum de  
Extrajudicialibus, dein de Judiciali-  
bus.

§. 377. Maximi nominis & usus est *Vasalli*  
Juramentum *Clientelare*, quo Vasalli *de Feudo*  
Domi- *investiti*;

---

100.) Vid. De Jur. Rer. Eccl. Sect. IV.  
§. 228, ubi de Contractu conditionato.